

9254 fol. 011

DISSE^TAT^O IVRIDICA IN AVG^VRALIS
DE
REGVLIS IVRIS ROMANI
E DOCTRINA DE SOCIETATE
MALE AD COMMVNIONEM BONORVM
INTER CONIVGES ACCOMMODATIS

SIMVL DE IVRE PATRIO
QVOD BREMAE OBTINET

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE
ET DOMINO

DNO FRIDERICO II
HASSIAE LANDGRAVIO RELIQUA

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQUENDIS
PVBLICAE DOCTORVM CENSVRAE
AD D. XI APRILIS 1771 CCCLXXI

SVBIICIT

DANIEL KLUGKIST
BREMA SAXO.

MARBVRGI CATTORVM
EX OFFICINA TYPOGR. VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.

DISSERTATIO IAVIDIA INAGARVII
DE
REGALIS IAVIS ROMANI
E DOCTRINA DE SOCIETATE
MIE AD COMMUNIONEM HONORUM
INTER CONIUGES ACCOMMODATIS
SIMILIS DE IAVE PATRIO
GOD ROME ORTINT
GAI
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC FORTISSIMO PRINCIPE
ET DOMINO
DNO ERIDERICOO II
HASSAE IVANDEGRAVIO REIGIA
PRO SUMMA IN AYCO DE MIE HONORIBVS
ILLE CONSECRANDIS
PATERE DOCTORVM CENSURAE
AD XI AYRIIS 1510CCCXXI
EARIC
DANIEL KLAGKIS T
SERVIA SAXO
MANHAGI CATTORVM
EX OFFICINA JYHOGK ANNAEVS VCDI MULIERIVM



INSTITVTI RATIO.

Cum, exacto academicci studii cursu, honorem vt consequerer eum, quem veneranda antiquitas, velut certum praemium, proposuit ad metam contendentibus¹, de speciminiis eam in rem edendi themate cogitarem: inter varia, quae animo tum obuersabantur, nullum mihi neque placuit magis, neque cura visum est dignius, quam hoc ipsum, cuius pro viribus qualibuscumque meis suscep tam expositionem nunc audeo publicae virorum doctorum subiicere censurae. Nam et si tot extant de communione bonorum libri scripti, vt actum fere agat, de hoc argumento tractatus: ego tamen memor illius, quod, nescio quis, scite tamen et grauiter dixit, non semper nos in eodem gradu, at in eadem via incedere debere: hoc veri prudentis esse puto, vt neque aliorum dicta, tanquam trita et vulgaria fastidiat, contemnat, quasi ipse solus edere possit noua; nec temere corundem, si quid veri superest inue-

A

inuestigandum, auctoritatem sequatur. Et quid aetum dicam? plerosque video primaenae communionis imaginem ne adumbrasse quidem, tantum abest ut expresserint; de quasi proprietate loquuntur, condonio doctrinam infarcient, immo rem tenebris inuoluant clarissimam communionis negatiuae et positivae distinctione. Quod vero maxime nos quidem quaerebamus discrimen inter societatis ex iure ciuili regulas et communionis, qua de sermo est, naturam: quot et quantis difficultatibus illud inuolutum est? ut maxima omnino cautione, si nos ex his laqueis exfluere velimus, sit opus. Quid ut alios taceam: nonne LEYSERVVS, (a) hilarioris ex nostris tibus famae iurisconsultus, aperte communionem ex regulis societatis diiudicandam censet? opinio sane quam maxime iis contraria, quae animo preeceperam tueborque peruvicatus et fortasse ita, ut aliorum aliquem assensum videar mereri. Sed ad se me vocat Patria, cuius statuta ipse HEINECCIVS (b) limpidissimum iuris Germanici appellat fontem. Obsequor. Nam ut sapientes affirmant, male rebus suis consulere videntur illi, qui nullam curam patriae et reipublicae, quae ipsos in lucem editos primo exceptit, et vitae quasi fixum tabernaculum iisdem largitura est, ad se putant pertinere. Quare penitus iis, quae ab aliis in medium adlata fuerunt, rem hoc ordine institui tractare, ut, cum primum, quid naturae conueniat, paucis persecutus fuero, de societate Romanorum et Germanorum de communione placita non modo tradam, sed etiam inter se conferam; tum ex utroque iure deductas regulas collocem atque illustrem

(a) in Med. ad n. med. 185.
Tom. I. pag. 366. et med. 301.
Tom. V. p. 156.

(b) in Elementis Iur. Germ.
Lib. I. Tit. 12. §. 279.
A

in sectione prima; denique in altera eorundem causas inuestigem in patrii juris titulis, exemplo aliorum moris prisci tenacium, qui non passi sunt, aut errores inolescere, detrimento etiam in maioribus rebus futuros, aut alios, incuriosos rerum patriarcharum, si peregrino iure vi-cerint, ipsi aequitate insultare.

SECTIO I.

DE COMMVNIONE BONORVM INTER CONIVGES

S. I.

DE COMMVNII VSV RERVM PRIMAEVO

Cum sententias eorum, qui de origine dominii scripserunt, mecum, vti debo, paullo considero accuratius: non satis cum eximio Belgii iurisconsulto NOOT^TIO (c) mirari possum, cur viri docti, suo, an dicam, doctrinae dispendio, vsque eo potuerint procedere, vt sermones miscerent de natura factorum, quae, vt cuiusque ingenium est, hic ita, ille aliter putat contigisse. Quid enim? an occupatio hodie penitus abiit in desuetudinem, vt eius memoriam ex pristica aetate repetere nos oporteat? num inter veros amicos concipere non possimus communionem eiusmodi, quae, exclusa omni proprietate patrimonii, quod quisque eorum vel habet vel acquisiuit, non modo vsum, sed etiam ipsius substantiae alienationem aequo iure concedat? sed vti experientia teste studium occupandi nondum desit, quod coepit, posteaquam orta inter priscos homines, vnius ambitu loci inclusos, congregatos, dissensione, imperio sese subiece-

A 2

(c) de lege Regis.

Angelus. Ad (3)

4 SECT. I. DE COMMVNIONE BONORVM

rant alii, alii gregatim secesserant nouas terras quae situri ad colendum fruendumque: ita plane communionis primaeuae imago refertur inter eos, qui non quidem extra omnes humanorum pectorum depositi sunt affectus, at in mutua tamen caritate et simplicitate vivunt; quos existere posse nemo ibit inficias, nisi qui nimium diffidat mortuum naturae, aut cum moroso M ALM ESB VRIEN SI statum naturalem per se turbulentum putet. Haec igitur nostra est collectio, simplex illa quidem et aperta, quam acutissimi vir ingenii fuisse GVNDLINGIVS, nullam primitus fuisse proprietatem, sed omnibus aequale competitissime ius in res huius vniuersi, quas Deus velut paternas familias hospitibus suis in medio posuerat tam ad usum quam ad recreationem. Erat inter hos socios natura coniunctos vera ac propria communio, quam VIRGILIVS verbis exprimit Didonis: (d) *Vrbem quam statuo, vestra est: subducite naues. Tros Tyriusque mibi nullo discrimine agetur;* et CICERO (e) inter amicos probat, quibus cuncta paria, ut, si tantulum modo intersit, nomen amicitiae desinat; cuius ea sit vis, ut simulac aliquis sibi maluerit, quam alteri, nulla videatur. Quo magis hic SENECAE (f) reicimus sententiam, *quidquid habeat amicus, dicentis, commune esse nobis, sed illius proprium, qui teneat, neque nos ea re illo inuito viti posse;* dominium is, inquam, intelligit, ex quo usus conceditur alteri, quae res non nisi inepte ad ista tempora refertur. Res Adami domesticae, in quibus describendis PVFFEND ORFIVS (g) multus est, incertitudine maxima sunt inuolutae. Sed lucem capiet res, si modo eam cessante ab inundatione repetata.

(d) *Aeneid. lib. I. v. 673.
seq.*

(e) *lib. 2. de legib.*

(f) *de benefic. lib. 7. c. 12.
(g) in iure nat. et gent. lib.
IV. c. 4. §. 3,*

repetamus atque dicamus, neminem tunc quidquam posse-
disse, cuius alter fructum non potuisset percipere, immo
post hominum discessione demum dominia rerum di-
stingui coepisse. Porro hic non loquimur de communio-
ne positiva, agrorum cessione vel partitione, quibus
quidem minutis explicandis interpretes mire sudant, sed,
dicam breuiter, aut fundum sibi quisque proprium fecit
eum, quem vel bona sors illi obtulerat vel quaerere coe-
gerat metas; aut plures vnum terrae tractum simul occu-
pantes eum vel communiter habuerunt, ita ut domini essent
intuitu duntaxat aliorum, vel eundem pro partibus indiuisis
retinuerunt usque ad diuisionem. Ceterum omnes in eo
conueniunt, quod hanc effecerint mutationem prauae
hominum appetitiones, quae ipsae quoque libertatem,
nobilissimum vitae bonum, maioribus nostris eripuerunt.

§. II.

COMMVNIONIS BONORVM INTER CONIVGES.

HISTORIA

Si igitur inter socios et amicos cum animorum, tum
bonorum communio locum habet: quanto magis haec
obtinere debet inter coniuges, qui, arctissimo vinculo
iuncti, quamdiu viuunt, eiusdem fortunae aut prosperis
aut aduersis flatibus agitantur? Est vero matrimonium so-
cietas vitae, non qua animantes sumus, sed eius in qua
iisdem moribus utimur; est enim corporum coniunctio
et rerum denique omnium, ut nihil indiuisum sit inter
coniuges, quod vel benigna sors in eos contulit, vel ipsi
parauerunt opera sua et industria, tum ad coniugium,
tum ad ceteros sumptus educationemque liberorum. Ele-
ganter hanc in rem COLVSELLA (h) ad antiquissima

A 3^o(h) *de re rustica lib. I, c. 5.*

SECT. I. DE COMMVNIONE BONORVM

tempora reuersus, erat, inquit, summa reverentia cum concordia et diligentia mixta, flagrabatque mulier pulcherrimae diligentiae aemulatione studens negotia viri sua cura maiora et meliora reddere. NIHIL conspiciebatur in domo DIVIDVVM, NIHIL, quod aut maritus aut femina proprium esse iuris sui diceret. Quod igitur indiuiduum vitae confortium cogitamus, id plures ita detorquent interpretatione, vt statuant communionem hanc rerum indiuidam esse, vel, quod eodem reddit, niti illam vsl ac benevolentia, nec inter invitatos exerceri (i). Sed illos eximius DONELLVS ad significatum indiuiduae consuetudinis ducit, quae quidem in se talis est, at cuius res non sunt indiuiduae. Ac ne vocabulum quidem satis apte ad res referri putat, quippe quae inter personas sunt communes, non autem indiuiduae, cum saepius urgente necessitate diuidantur. Nihil igitur possident coniuges, quod inter se non sit commune, aut vsl postulante non fiat, id quod nonnulli etiam in societate vniuersali iustum agnouerunt. Atque haec haetenus; nunc vero DONELLVS ad principia Romanorum transit; apud quos, vti perulgatum est, dos ac parapherna in vsl erant, nihilominus societas omnium bonorum inter coniuges poterat intiri. Ait enim tamdiu durare communionem, quamdiu voluntate alterutrius coniugum non reuocetur, et tacitam communicationem esse, ita vt vxor rebus mariti pro suis vti possit, sublata vero communione ditionem coniugem pauperiori ad alimenta teneri. Iam si PLATO (l) felices praedicat vrbes, vbi meum et tuum rarissime audiatur, multoque magis has voces e coniugio tolli cupit: si PLVTARCHVS (m) nihil

(i) NOODT probabilium lib. (l) apud PLVTARCHVM.
I. c. 3. (k) comment. iur. ciull. lib. (m) in coniugal. praecept.
XIII. c. 15. t. 10. et 18.

nihil putat conuenientius esse naturae coniugalis societas, quam communionem omnium bonorum: oportet sat graues caussas adfuisse, cur ita tandem illa obsoleuerit, ut eiusdem vix vestigia reperiantur. Veram autem intellico communionem, cum plerisque hic sermo sit de condominio, quod dicunt, pro indiuiso; id enim facile vel me non dissentiente intelligitur naturae legibus non esse praeceptum (n). At cum summa animorum concordia, quae non modo coeuntium in vnum, sed familiae quoque illorum promovet salutem, in hoc corrupto hominum statu aegre obtineatur: omni prudentia, quae quidem in nostris viribus posita est, opus viderur, ut maiori malo caueamus; neque consuetudo quaelibet huc pertinens spernenda est, neque legislator reprehendendus, qui auctoritate sua proposita remedia confirmet. Interim vereor, ut illi, qui condominium defendunt pro indiuiso, strenue opus perficiant: nam vtique indigent his remedii, quia proprietatem ingerunt, quae, quatenus huic quaestioni imminiscetur, proverbio locum dat, communione esse matrem discordiarum. Qui tandem ferre possumus eos, qui communionem rerum, idem dampnum ac lucrum, immo proportionem geometricam inter coniuges secundum cuiusque illata fatagunt adstruere? Numquid hoc simplicitati conuenit naturae? Longe his certiora vestigia relicta videntur nobis, quid in controversiam venerit, pensantibus, in visu fortunarum, in arctissima amicitia, quae in legibus (o) SANCTITAS appellatur, (et vtique deberet esse, quanquam non semper animo euenter respondet) in domicilio, in foro, in dignitate coniugum communii. Ut autem, quoniam semel a simplicitate naturae

(n) BROCKES diff. de com-
mun. bon. inter coniuges.

(o) l. 5. Cod. Theod. de
nuptiis.

8 SECT. I. DE COMMUNIONE BONORVM

naturae recessum est, progressus rei paullo diligentius inspiciamus, primum nobis in oculos incurrit Romanorum, quos omnes propter sapientiam laudant, institutum.

I) Iurisprudentiam Romanam post leges demum duodecim tabellarum constat incipere. Iam antea vero Romulus lege lata statuerat, ut bona atque sacra inter coniuges essent communia. De sacris eleganter scriptis eximius iurisconsultus ille Biturigenium DVARENVS (p), Sacra deinde cum bonis coniunxit ius pontificium. In his vero communicandis ROMVLVS respexerat ad naturae simplicitatem; idque probat locus DIONYSII (q) quem plures sinistre interpretantur. Nam, ut EXVERRIO FLACC CO refert MACROBIVS, (r) postera die nuptiarum mulier dominium rerum mariti consequebatur. Quod ita plane intelligendum est, nihil iam maritum, quod proprium diceret, habuisse, sed cum forensibus negotiis parrem rationem fecisse mulieris industriam ac sedulitatem (s). Idemque fere posteriori aetate repetit PAVLVS (t) vitiae societatem, dicens, mulierem quodammodo dominam facere. Posteaquam vero lex ROMVLI in XII relata fuerat, illud quidem addi coepit, si mulier in manum conuenisset, ut ipsa tanquam filia ius bonorum in familia haberet. At neutrum ius aut communis cuiusdam propinquiso dominii, aut ususfructus nomine, ut voluit III. LANGIVS, (u) insigniri potest: non illius, quia coniuges inter se nihil proprii habent, sed omnia in commune conseruantur.

(p) in tit. solut. matrim. de fratribus oper. T. I. cf. Barn. Bris-
nuptiis v. 1.

(q) Antiq. Rom. lib. 2. sonius de vita nuptiar.

(r) Saturn. I. 15. (t) l. 1. Dig. rer. amot.

(s) ANT. NOTMANVS de Güter unter deutscher Ehe-
veteri ritu nupt. c. 26. Franc. (u) von der Gemeinschaft der
Eheleuten.

fecrant; absonum praeterea est dicere, filiam familias patri administratori contradictriam: neque huius, quoniam vtendo fruendo non magis quis dominium adipiscitur, quam successionem. Deinde multa quoque innouauit prudenter interpretatio. (x) Exemplo est patria potestas, quam Romulus itidem lege induxerat. Haec enim etsi a Decemviris quoque probata fuit, nihilominus ius moribus receptum ab VLPIANO (y) appellatur. In primis iurisconsulti sui heredis vocabulo ex ipsis legibus arrepto ita sunt vti, ut communionem inde inter patrem et filios deriuarent. Contra filiabus et agnationis ratio nocebat et postea lex quoque VOCONIA, quippe quae dote eas contentas esse voluit; ac licet haec lex, crescente luxu et opulentia, a ciuibus elusa, in desuetudinem abiisset; splendor tamen familiarum curae cordique fuit Romanis, hic vero per filios tantum et qui in eorum locum succedunt nepotes, non etiam per filias poterat conseruari. Etenim in hereditate praecipua suorum, deinde agnatorum, post hos denique gentilium ratio habebatur. Filiae quidem, fateor, et ipsae ad suos heredes relatae fuerunt; at consanguinitatis, non agnationis iure, vnde communio proprie ad filios pertinebat, qua de re memorabilis extat locus PAVLI in l. II. de lib. et post. ad quem verba quoque CICERONIS *Verrin.* I. quibuscum viui nostra partimur, aptanda sunt. Filius, inquam, proximus patri est agnatus, qui eius memoriam ad posteros propagat; non aequa filia, utpote quae, testamento praeterita, illud non reddit nullum, (z) in cuius item emancipatione tantis

B amba-

(x) RAEWARDVS de aucto-
rit. prudent.

(y) in l. 8. de his qui sui vel
alieni iur.

(z) l. 30. Dig. de lib. et
post. VLPIANI fragm. reg.

XXII, 16.

10 SECT. I DE COMMVNIONE BONORVM

ambagibus non est opus. Filius duplici iure gaudebat, vt cum suus heres patri esset, nisi contra eum delinquisset, tum suos heredes haberet, quae ratio cessat in feminis. Namque per confarreationem illae in manum mariti conueniunt, fiunt filiaefamilias, quid? quod successisse easdem constat, quamdui ritus iste nuptiarum duraret. Verum de neglectu ipsius iam **TACITVS** conqueritur, inopiam allegans patrimoniorum et matrimorum, h. e. flamineorum, quibus in sacrificio vrebantur. Cum denique plane cessaret, tam postposita fuit vxor, vt edicto eam Praetor post cognatos demum admitteret ad possessionem.

(a) Multum ad hanc rem contulit diuortiorum frequentia, quam nescio cur supra excitatus **III. LANGIVS** ad antiquissima tempora, forte vsusfructus a se excogitati caussa, refert, cum tamen peruulgatum sit, seculo demum sexto post urbem conditam **SP. CARVILIVM** equitem propter sterilitatem nuncium vxori suae misisse. Itaque munierunt dotum ius, de quo fortasse **SER. SVLPLICIVS** primus omnium conscripsit librum, atque cauerunt, vt vxor de dote secura redderetur. Quare haec communio, quae simplicitate nititur naturali, quamque **Romulus** *ο πολιτινος* inter ciues suos libertatis amantes communi sponsione confirmauerat, post apud Romanos adeo in desuetudinem abiit, vt honoraria, liceat enim vii nomine pluribus eruditis accepero, esse inciperet. Quid enim praeter nudum rei nomen superest? Vxor rei humanae et diuinae domus socia nominatur (b) sequitur mariti forum, domicilium, dignitatem, at ipsius et mariti dominia a se inuicem distincta manent. Etsi maritus quidem simpliciter non dotis caussa dominus est, nisi potesta-

(a) **MARANVS** in *Paratit.* (b) **L. q. de crim. expil. bed. ad tit. D. de nuptiis.**

red.

testatem maritalem nimium velis extendere, vxor habet parapherna, vel receptitia bona, eadem enim haec secundum GELLIVM credimus fuisse, atque horum inuita vxore ne administrationem quidem sibi arrogare maritus potest. (c) Non soluit illa pro marito aes alienum, (d) at nihil quoque acquirit, sed maritus omnia parat sibi, alit familiam, dotenque soluto matrimonio restituit. Interim pacto societas vniuersalis inter coniuges initur rete, (e) de qua quidem, cum non parua inde confusio in hodiernam iurisprudentiam irreperitur, deinceps plenius dicemus.

II) A Romanis nunc transimus ad Germanos, ut qui illorum iura in subsidium receperunt, num bene, videant alii. Neque vero hos communionem primaeuam per omnia obseruasse dixeris. Sane plura occurunt, quae ipsis suasit prudentia, vnde etiam Bataui tenuere medium, quod HVBERVVS (f) laudat. Neque tamen horum ea in re partes praecipuas existimamus. Nimirum laudanda sunt etiam ciuitatum statuta, quae et utilitati publicae seruiunt, nec nimium a simplicitate naturali recedunt. Primum igitur pro communione apud Germanos testimonium IVLII CAESARIS (g) allegatur. Is enim ait maritum bonorum partem cum dote communicare; huius deinde substantiae seruari fructus, superstitioni alterutri coniugi vna cum re ipsa relinquendos. Verum vti aperte de Gallis loquitur, quod verba cap. 21. multum

B 2

tum

(c) l. 8. Cod. de pacis con-
uent.

(f) Praelect. ad tit. D. pro
socio.

(d) tit. Cod. ne vxor pro
marito.

(g) de bello Gallico lib. 6.

(e) l. 16§. 3. D. de aliment.
legat.

c. 19.

12 SECT. I. DE COMMVNIONE BONORVM

tum ab hac consuetudine Germanos differre, innuunt: ita praeter similitudinem rei cum aquaeſtu nihil video communionis. Posset quis aquaeſtu, vel etiam ſuſtentationem, quod magis probo, coniugi alteri debitam poſt mortem alterius exſculpere: at quidquid CAESAR cogitandum reliquerit, ſufficit eum de Germanis aliter ſenſis. fe. Consultiſſimus AFTERKIRCHEN (h) eundem mo-rem tribuit Visigothis. Sane eius, quod vtriusque coniugis opera quaefitum eſt, volunt et apud Francos et Sa-xones antiquitus fuſſe communionem; vnde etiam BER-GERVS (i) poſſeſſionem inter coniuges et portionem ſta-tutariam deduxiſſe videtur. Nunc vero ad notiſſimum locum TACITI progredimur (k). Ne, inquit is, mu-lier ſeſe extra virtutum cogitationes extraque belli caſus pu-tet, iſiſis incipientis matrimonii auſpicis admonetur, ſe ve-nire laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in bello paſſuram. Videtur III. LANGIVS hanc societa-tem ad pericula tantum belli trahere velle, alii verba, la-borum ſociam explicant de aquaeſtu. Ego vero hic vni-ue ſequor GEBAVERI viri ſummi, ſententiam, quam in diſſ. (l) ad Taciti Germaniam iſigni eruditioñis ac doctri-nae apparaſtu illustrauit. Eſt in primis ad verba ſequentia reſpiciendum, doteſ non uxorem marito, ſed uxori ma-ritum offerre. Nec enim opus erat Germanos commodo dotis ad matrimonium allicere, cum facile puellis formaę ac virtutis praeftantia conditionem nubendi conciliaret. Nihil his ex hereditate obueniebat; immo et ipſa bona primis temporibus non ita erant comparata, vt feminis quid.

(h) in diſſ. elegantiſſ. quam moderante III. BOEHMERO de-fendit, de iur. et oblig. coniug. ſuperft. ex comm. cet.

(i) diſſ. ſel. XLVII. §. 18.

(k) de morib. Germ. c. 18.

(l) diſſ. VII.

quidpiam ex illis adquirere liceret; nihil ergo possidebant, praeterquam quod operis domesticis parauerant sibi. Erant in perpetua tutela; nuptae a maritis alebantur. Porro marito incumbebat viduae, si quam relictus esset, prospicere. Hinc certas res, certa bona promittebant sponsae, vnde post mortem suam sustentaretur. Atque hanc esse dotem Germanicam is, quem honoris causa nomino, *Perill.* docuit **GEBAVERV**. Quare durante matrimonio nulla de proprietate lis concordiam coniugum turbabat; nec per mortem illo soluto vxor inops ac infirma habebat, de quo conquereretur. Dos Romana, dotalitium, aquaestus, portio statutaria, postmodum cum vxores bona coepissent adquirere, sibique habere, h. e. simplicitate morum fere cessante, inualuerunt.

III) Quid ergo est, quod III. BROCKES communionem inter coniuges bonorum ex priscis moribus deducat Germanorum? Scilicet aut recurrendum ei est ad pri-maeuam communionem, qua nihil cuique proprium fuit, aut satendum, eam, quae lege vel pacto constituitur hodie, tum temporis plane incognitam fuisse. Verum hac de re §. sequenti paulo dicemus vberius. Itaque plane assentior iis, qui, remota iuris ciuilis et canonici auctoritate, communionem, qua de sermo est, tribuunt moribus, non antiquissimis, sed medii aei; eamque nec in omnibus ab initio bonis, verum in aquaestu, nec inter omnes denique, sed inter ciuici tantum ordinis coniuges obtinuisse dicunt. Praeclare haec exposita sunt in diff. (m) qua ante aliquot annos Consult. **HEIMANVS**, popularis meus, aditum sibi ad summos in iure honores patefecit, moderante Illustri ac celeber. **HOMBERGKIO**, cuius egre-

B 3

giam

(m) *de communione bonorum inter illustres exule.*

giam institutionem et erga me humanitatem gratissima mente summaque pietate prosequar, dum viuam.

IV) Placuit deinde et omnium bonorum consortium ita quidem, vt per vniuersam Germaniam illud recipetur. Certe iam satis cognitum fuit tum, cum mores patrii cuiusque peregrini iuris causa colligi ac in scripturam redigi coepissent.

V) Rursus vero inducto Romano iure adquaestus fese insinuauit. Nec statutorum conditores, posteaquam guiltus Germanos ceperat scholas Italiae inuisendi, huic mixturae satis cauere, aut patrium ius contra Quiritium placita, a quibus nec ipsi essent alieni, potuerunt tueri. Et plane accedit quod *CVIACIVS* (n) ὁ παῦ de moribus Galliae obseruat non his purum ac limpidum iuris fontem contineri. Ut consuetudinem circa immobilia, si qua ex hereditate vel ex legato coniugibus obueniant, ea communia esse, *ex l. 7. et 8. π. pro socio* esse depromtam; doctores idem in aliis moribus fecisse, quam feliciter, ostendere *confusa vocabula quaestus et Gallici conquaestus*, quod in legibus *LYDOVICI* et *LOTHARI* conquisitum appelletur.

VI) Neque definiunt rem imperii leges, vtpote quae de iure priuato parum cauent. Ius Saxonum recedit a legibus in imperio receptis. Quaeliber prouincia, vnaquaque vrbs iure vtitur proprio, cuius si verba non sufficiunt, respiciendum est ad analogiam, antequam ad ius commune sive Romanum confugiamus.

§. III.

(n) *Consult. VII.*

§. III.

QVID SIT COMMVNIO BONORVM INTER
CONIVGES

Equidem noui rem esse arduam multisque difficultatibus implicitam, idoneam de hac communione dare definitionem, propterea, quod vnuſquisque pro ingenio suo, et, quia simul ad statuta ciuitatum respiciendum est, rem conuenienter ad ius patrium studet definire; nihil nunc ut dicam de variis progressibus supra indicatis. Etsi autem ab omni studio aliis contradicendi sumus alieni: placet tamen CICERO in Oratore suo suadens, rectam atque veram sententiam nobis esse defendendam, licet soli ac singulares futuri videamur. Succurrit quoque illud ARTABANI apud HERODOTVM, nisi variae dicerentur sententiae, nec optimam eligi posse. Primum igitur ne quid verbi notationi immorer, quae varia est iure ciuali, (o) communem rei vsum et commune dominium a se inuicem puto distingui oportere. Namque res iure naturae sunt communes, quarum vſus et vtilitas coniunctim ad omnes homines pertinet. Non loquimur hic de proprietate, quia haec nullius est, patet, vacat omnibus. Ab his vero differunt publicae, quae proprietatem populi assumunt, licet vſus earundem sit communis. Sunt etiam bona cuiusque priuati propria, ac communia inter socios. Quo minus ergo res inter coniuges ex simplicitate naturali videri possint communes, quia vterque illo- rum eas vel ante matrimonium proprias habuit, vel du- rante illo adquisiuit? Sed haec dubitatio minimē nos mo- uet. Nam etsi res occupatae speciem amittunt commu- (o) BRISSONIVS de verb. signif. communio et communis.

nium, tales tamen adhuc considerantur, dummodo ne possidentes indulgeant prauis appetitionibus, quae tollunt omnem in hac vita coniunctionem. Qui igitur non fucato mutuo amore flagrant, nihil tanquam proprium habere, sed quidquid habent, inter se communicare debent. Atque huc collineant, quae de communione supra diximus. Neque enim opus est, ut hoc loco aequalitatem tum illatorum, tum acquisitionum vtriusque coniugis bonorum obseruemus. Et si vxor parum, et plerumque erat apud veteres dos parua, vel nihil quoque intulerat, splendidi tamen patrimonii mariti particeps fieri poterat, in eoque libere agere, ac suo arbitratu rebus vti frui, perinde ac si omnia initio foederis coniugalnis ipsi concessa fuissent. Quod vero cum liberis post obitum mariti succedit, vel etiam id quod iam possedit proprium sibi soli acquirit, partim naturalis, partim arbitrarii iuris est. Nihil enim naturale est magis, quam ut retineat, quod iam habet; successio autem cum liberis oritur ex legibus humanis. Cum supra laudatum DIONYSII locum ita intelligo: facile quis obiicere potest, vxorem, quae in manum conuenerat, non magis quam liberos sibi, sed omnia patrifamilias acquisitione. Ac respondeo, personae vnius potestati subiectae adquirunt quidem illi, at ipsis tamen permisum est, naturaliter res consumere. Hac enim aequitate nititur ius peculii profectitii, Praetorum interpretatione certius redditum, ut licet ipsum in bonis constitutentis esset, obligatio patris creditoribus filii ex illo satisfaciendi introduceretur. Nolim equidem illud ius, quod vxori in bona mariti ex lege Romuli competuit, secundum regulas peculii metiri, et vero supra quoque dixi §. praeced. filiae conditionem vxori inditam fuisse moribus; interim hac ratione usus sum ad demonstrandum, quam

autem ut cunctos homines haec sunt ratione vane

vane argumento iuris postea inducti, nonnulli antiquissimam Romanorum communionem inuolarint. Non iam sollicite inquirimus, qua vixerint morum innocentia veteres Quirites; certe nouimus, quod successu temporis apud illos contigit, idem apud Germanos accidisse, quippe qui prima et rudiore aetate nullam ferme in matrimonio rationem habuerunt proprietatis, postea vero, cum vxores ex negotiatione bona sibi adquisiuisserent, sortem a quaestu distinguere coeperunt. Hoc igitur teneo, quod et sequentibus clarum atque perspicuum fiet, communicationem proprietatis non nisi pacto, vel lege introduci, interdum etiam tolli ob diffidentiam contraria sociorum voluntate. Numquid enim rationi aduersatur, vxorem esse dominam sicuti maritum ipsum? neminem in hac societate non suum iactare debere? Immo fruuntur coniunctim bonis, securi vnde venerint, modo communem promoueant utilitatem. Concedo id, quod vxor in matrimonium intulit, forte quod parentes ei donauerunt, confundi cum dominio mariti. At hic eam nihil quoque possidentem admittit ad rerum suarum arbitrium. Quae posterior ratio impedit, ne tale commune dominium, quale in societate locum habet, in hac communione, qua de sermo hucusque fuit, statuam. Apposite OVIDIUS (p):

*Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum.
Nec solem proprium natura, nec aera fecit,
Nec tenues undas.* —

Quid? an iure quidquam in re communi alter dominorum inuito altero poterit suscipere? Minime. hic enim ius habet prohibendi. Regula SABINI (q) sat nota est,

C in

(p) Metamorph. VI. v. 349 - 51.

(q) l. 28. comm. duid.

in pari causa probibentis causam esse potiorem. Ac licet nonnulli, rem ex aequitate ita restringere sint admissi, (r) si non sit iusta causa dissentendi, vt vel exemplo utar, si quid in aedificium necessario impendendum fuerit: conciliari tamen inter se, confidenter dico, nequaquam pos- sunt, aliquos in communione esse, et quidquid alteruter tangat, non suam, sed rem alterius tangere. Sane ideam dominii communium rerum vsus promiscuus vtrimeque exsulare iubet. Sed vt rem in apertum ducamus, doctrinam de communione pro indiviso penitus considerare iu- uabit. Igitur iudicium communi diuidendo Romani ad- mittebant iis in rebus, quae plurium essent pro partibus in- divisis quidem in quota, vt loquuntur, sed non in corpo- re (s). Nec enim naturalis ratio videbitur pati, ita quid- quam commune esse plurium, vt in solidum esset commu- ne, non magis quam vt eiusdem rei duo pluresue in soli- dum essent domini (t). Itaque vt philosophi dicunt animum esse in corpore toto, et in qualibet eius parte to- tum: ita ius sociorum exserit sese tum in vniuersum pa- trimonium, tum in singulas eiusdem partes. Possident illi communiter res mobiles, (u) quarum nullae dum fa- Etiae sunt partes; pertinent, inquam, partes ad illos, non ex corporum divisione, sed iuris intellectu (x). At quisque pro sua, licet incerta portione, alienare (y) non

(r) vid. l. 13. §. 1. de fer-
vitut. praed. verb. l. 2 § 5 de
aq. et aq. pluu. l. 32 et 41 Dig.
de danno infecto, MEVLVS P.
VII. dec. 44. SANDRE III, 8.
VOET §. 8 tit. Dig. comm. di-
uid.

(s) ANT. FABER Coniectu-
rarum lib. XI, cap. 8.

(t) l. vlt. Dig. Comm.
(u) l. 8 de rei vind. l. 5 §.
vlt. de reb. eor. l. 94 §. 1 de solut.
l. 29 Dig. de adquir. rev. dom.
(x) l. 25 de V. S. l. pen.
Dig. pro socio l. 7 C. commun.
vtr. iud.

(y) l. 68 Dig. pro socio l. 12
Cod. de donationib.

autem nec in tota re nec in qualibet eius particula quidquam in iuncto altero potest facere. (z) Nam alienatio quidem veluti futurae rei valet; ceteri actus, qui ipsum corpus nunc praesens afficiunt, ab arbitrio non vnius, sed omnium eiusdem pendent dominorum. Quae si ad communionem, quae inter coniuges obtinet, adhibeas: vendendum est, ne illico appareat differentia. Etenim naturalis est promiscuus rerum usus; cui, introductis licet dominiis, non aduersatur, duos eiusdem rei in solidum videri dominos; contra probata hodie indiuise rei communione ne incertae quidem partis alienatio concedetur. Quomodo igitur his praemissis communionem definiamus? num, *ius dominii inter coniuges confusum in eundem vitae societate?* Atque hoc primum quidem cogitatione fueram complexus. Quid autem? si vxor vel maritus initio matrimonii possedit nihil; nihilominus communio adest. Quare postea rem curatius perpendenti in mentem mihi venit haec definitio, *par illam esse ius coniugum in bona tanquam vitae sociorum.* Nam cum bona in vniuersum significant, quodcumque nos beat; nihil interest, vnus solus, an vterque illas res antea possederit, vel post acquisuerit: sufficit alterum etiam sine alterius consensu et percipere, et absumere, et alienare posse. Et si hoc maxime consentaneum est morum simplicitati, vt non possit non inter coniuges, qui vno ore, vno animo vivunt, habere locum, vtpote quorum neuter, cum rerum, quas ipse ante matrimonium habuit, vel post acquisiuit, fit usus, proprietatem earundem ad memoriam reuocare debet; sicuti alii quoque homines, virtutis amore, suapte sponte, non rogati, quae habent propria, ad usum prae-
bent indigentibus: tamen intelligimus eam communio-

C 2 men

(z) *l. cit.* 28. *comm. diuid.*

20 SECT. I. DE COMMVNIONE BONORVM

nem, quam hodie vel ex pacto vel ex lege statuunt, ¹ p[ro]le-
risque omnibus *commune dominium* videri; quamvis, vt
alia taceam superius insinuata, dissimile id ipsum Romanae
omnium bonorum societati eo, quod non finiatur morte,
sed inter superstitem coniugem et liberos continuetur, vel
his deficientibus tanquam proprium patrimonium illius
consideretur. Etenim nulla societas iure Romano ultra
mortem porrigitur, quod mere ciuile esse GROTIUS
aliisque obseruarunt. At efficit id fauor testamentorum,
sub Imperatoribus, ob legem vicesimariam mirifice, vt
dici non possit, crescens. Idem docet exemplum a SCAE-
VOLA in l. 16, §. 3 de alim. legatis adlatum, vbi quidam
dicitur per quadraginta annos cum vxore sua in societate
omnium bonorum vixisse, deinde eam cum nepote ex fi-
lio heredem instituisse. Iam vero plerique nostratium in
eam sententiam abierunt, vt antiquum hunc Germano-
rum morem *societatem* esse dicant, *qua bona viriuque*
coniugis constante matrimonio pro indiviso possideantur.
ILL. LANGIVS generis loco ponit, *effectum matrimonii*
legitimi, perperam, mea quidem sententia. Nam si, vt
exploratum habemus, eiusmodi ius pacto non modo de-
finiri, sed statuto quoque introductum excludi potest;
necessariam eiusmodi ex matrimonii auspiciis consequen-
tiam nullo modo rimari possum. Quin sequitur id po-
tius consortium, de quo supra tot verba fecimus. Proin-
de etiam libens concedo, morem nondum perpurgatum,
iure Romano admixtum, legibus naturae non praeceptum
videri. Et cur in definitione addit *legitimi?* cum semper
coniuges intelligamus eos, qui matrimonium secundum
praecepta legum inuerunt. Quid? vt paullo post ostendam,
matrimonium etiam legitime contractum non sem-
per sequitur communio. Neque cetera placent verba
defi-

definitionis, quae ille cum aliis habet communia, bona iure condomini pro indiviso possideri. His enim in dubitationem adducimur, an haec sit communio, quando coniuges vel fundum in commune emunt, vel alias res confundunt, nullo tractatu habito societatis. Verbum possidere non satis aptum est, ad significatum hunc exprimendum. Et ad summum societas Romana omnium bonorum est. Num haec vero tribuit successionem? Minime! Finitur enim morte. Quid? si ponimus superstitem coniugem in dominio omnium bonorum manere, quomodo tunc illud veluti cum liberis propagatum dici potest? Perspicimus inde, quam difficile sit, res ex more aliquo ortas, verbis ciuilibus definire. Valde autem suauis est ABR. A WESEL (a) cum vniuersalem communionem non modo ad exemplum dictae societatis Romanae introductam, sed in naturali adeo simplicitate fundatam putat. Ecce enim is, quem supra laudauimus, HVBERVS, remedium, quod populares sui inuenerint, prae-dicat, in vniuersali communione recipienda, vt lucra redditus et quaestus, sicuti damna sint communia, fors vero utriusque patrimonii indiuisa maneant, vt cum sanctitati matrimonii, tum patrimonii conseruationi consulatur. Scilicet postulavit illud prudentia inter homines in statu ciuitatis viuentes, at ipse HVBERVS nunquam forte eiusmodi remedium confociationi coniugum naturali, tanquam plane consentaneum, adscribere cogitauit. Est enim utriusque fors distincta, nullum hic reperitur commune dominium; rursus vero nos incidimus in vulgarem ac tritum illum SENECAE locum, de usu ac benevolentia. Igitur his omnibus pensatis, si vniuersalis communio, naturali quippe simplicitati propior, definienda est, esse

C 3

illam

(a) *De connubiali bonorum societate.*

22 SECT. I DE COMMVNIONE BONORVM

illam puto morem Germanorum, quo confusi inter coniuges dominii etiam post alterutrius mortem, nisi superstes totum retineat, cernitur effectus. Hic, quam variet secundum statuta locorum, postea indicabimus.

§. IV.

COMMVNIONIS DIVERSA GENERA

Recte Consultiss. CHR. GOTH. HOFMANVS (b) tria, inquit, sunt, quae hanc doctrinam reddunt difficultem. Primum enim iura matrimonii ex induitibus legibus peregrinis aestimantur: deinde communio secundum varietatem differt locorum, quorum ab altero ad alterum minime procedit conclusio; denique in quaestionum decisione rationes e doctrina societatis Romanae desumuntur. Namque haec quanquam a B. ENGAVIO (c) generis loco ponitur, non magis communionem inter coniuges, quam paetum, vt alter alterius ex asse sit heres, inducit. Regulam formauimus. Quot illa vero patitur exceptiones obuias in legibus urbium ac prouinciarum? Quotus enim quisque legislator antiquam illam consuetudinem non tam ad ciuium suorum genium, quam ad alia utilia accommodauit? Fauor commercii omnibus de hac re modo cogitantibus in oculos incurrit. Attamen vidi mus non semper eius habuisse rationem, sed utilitatem rei familiaris eidem interdum anteposuisse, statutorum conditores. Sed in rem praesentem eamus, quoniam de limitibus huius fundi iudicandum est. Constituant igitur Doctores, vt verbis vtar Ill. LANGII, quadruplex communionis genus. Distinguitur ab uniuersali, cuius modo

defi-

(b) diff. de comm. bon. natura
ra atque princ. §. 2.(c) in Element. Iur. Germ.
lib. I. tit. 16.

definitionem dedimus, *particularis*, quam cum acquae-
stu promiscuam habent plures, hic tamen, si accurate cum
ILL. SELCHOVIO (d) loqui amamus, eius tantum spe-
cies videtur. Bona coniugum Germanorum erant vel il-
lata, vel adquisita, vel aduentitia. Iis vero in locis, vbi
vera communio sese exserit, confunduntur omnia. Iam
si vnum modo genus inter coniuges sit commune, ipsa
conspicitur res, qua de quaerimus. Acquisita non tan-
quam bona consideramus, sed tanquam fructum illorum
vel augmentum. Quare omnino arridet definitio FRAN-
KII (e) aquae*stum esse augmentum fortunarum, quod*
constante matrimonio adquisitum superest extracta forte,
deducto aere alieno. Interim hanc rem leuiter modo teti-
gimus; vberior eius expositio infra sequetur.

II) Altera diuisio est in *ordinariam*, quae inter coniuges obtinet constante matrimonio, et *propagatam*, hoc
enim verbo vti maluimus p[ro]ae illo prorogatae, propterea
quod non conuenit matrimonium temporale inire. Hanc
vero soluto matrimonio coniux superstes continuat cum
liberis, atque in eiusdem expositione ILL. LANGIO W EY-
ERVS multum videtur praestitisse. Nescio autem, num
ipsa non potius communionis effectus, quam peculiaris
eius species debeat appellari. Nam effectus illius tam con-
stante matrimonio, quam finito eo sese exserunt. Hoc
in casu res vel eo usque manent communes, donec terminus,
more definitus, diuisio[n]is appareat, ususfructus, non
autem Romanae seruitutis iure, vel superstes retinet
omnia, vel, vt BERGERVS (f) ait, portionem dun-
tax statutariam.

III) Porro

- (d) *Elementa Iur. Germ. vxores dimidiare adquaestus lu-*
§. 469, 476. *crentur §. 15.*
(e) *diff. quatenus in Hassia* (f) *Diff. sel. XLVIII, 18.*

24 SECT. I. DE COMMVNIONE BONORVM

III) Porro variae occurunt exceptiones a regula, vnde distinctio in *propriam* et *anomalam* ortum trahit. Nam si v. c. vnum coniux dimidiam tantum partem ex patrimonio alterius potest adquirere, communio dicitur *impropria* vel *irregularis*. Refert hoc FRANKIVS id quod in Hassia de communione traditur, et plures eius etiam forme allegari possunt, nec minima tamen mutatio neglectus regulae putatur.

IV) Denique consideratur vel simplex mos, vel quatenus is formiam statutis accepit. Ipsa statuta dant licentiam, id quod iure introductum est, pacto vel mutandi, vel excludendi. Immo in certis regionibus, certae adeo formulæ, quibus in pactis detailibus vtuntur, communionem, licet nomine non expressam, inducunt (g). At paucissimis haec res comprehendendi potest; neque tot opus esse puto distinctionibus. Dicamus simpliciter, Germanos medio aevo vsos fuisse hac consuetudine, vt, quidquid a coniugibus adquireretur, id inter eos commune esset. Postea id ius ad omnia bona porrectum fuisse, soluto autem matrimonio idem cum liberis extantibus a superstite continuatum. Statuta consuetudinem partim confirmasse, partim mutasse. Contra haec etiam pacisci licere, vel quaedam bona recipere; conceptis deinde verbis interdum induci communionem.


§. V.

(g) Varias paroemias huc pertinentes collegit Vir Illustris atque Consultissimus, multis mihi nominibus colendus, quem honoris caussa nomino

IO. ANDR. HOEMANN in
diff. doctissima de communio-
nibus praecipue person. Illustr.
Marb. 1770.

Marburg, Diss., 1771-23





DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
 DE
REGVLIS IVRIS ROMANI
E DOCTRINA DE SOCIETATE
 MALE AD COMMVNIONEM BONORVM
 INTER CONIVGES ACCOMMODATIS
 SIMVL DE IVRE PATRIO
 QVOD BREMAE OBTINET
 QVAM
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE
 ET DOMINO
D N O F R I D E R I C O II
 HASSIAE LANDGRAVIO RELIQA
 PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
 RITE CONSEQUENDIS
 PUBLICAE DOCTORVM CENSVRAE
 AD D. XI APRILIS 1771
 SVBIICIT
D A N I E L K L V G K I S T
 BREMA SAXO.
 MARBURGI CATTORVM
 EX OFFICINA TYPOGR. VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.